

Tertullianus Crisostomus Gregorius dixerunt ultimū diē iudicii esse
in propinquo

PRAEFATIO BEATI RHENANI AD

secundas nuptias detestantis, prolapsū esse scribit, uideo tamen quid illū
mouerit, ut monogamiā suaderet, nimirū quod diē illum ultimū, quem
ipse quodam loco diē expeditionis eleganter uocat, non multū abesse
putabat. in qua opinione nō ea solum aetas fuit, sed & Gregorius magnus
Tiberi inundante praeter morem, adesse iam mundi finem arbitrabatur.
Et quod uidebat quātū periculi esset Christianismo ex imparibus coniu-
gijs, cum Christiana mulier gentili marito sociaretur, quod tum crebro fie-
bat, ut de ceteris cōmunis uitae officijs taceamus, quibus cū magis astrin-
gantur coniugati, fortassis non nihil impediatur interdum is qui toto pe-
ctore Christo seruire cupiat, praesertim ea aetate qua Christiani inter ethni-
cos degebant, illos nonnūquā affinitate contingentes. Et affectibus mū-
danis magis sunt obnoxij, qui liberos habent. Prima autē illa nascentis
ecclesiae tempora ferro transigebātur, & sanguine fundendo pro Christo
& aduersis fortiter pro religione perpetiendis erant occupata. Quam etiā
ob causam diuus Hieronymus minus fauere nuptijs uisus est, ut nō de-
essent, qui uirū optimū uelut Montanisten subaccusarent. Vnde purgans
se sic ad Marcellam scribit, Nos (inquit) secundas nuptias non tam appeti-
mus quā cōcedimus Paulo iubente, ut uiduā adolescentulā nubant: Illi
in tantū putant scelerata coniugia iterata, ut quicūque hoc fecerit, adulter
habeatur. Atque utinā Tertullianus tantū consulisset unās nuptias, nō
autē praecipisset, certe melius illius scripta audirent. Nam tametsi quāsdā
opinionēs interdū secutus est, quae hodie prorsus sunt ab orthodoxis dā-
natā, tamen nihil aequē in causa fuit ut illius opuscula in numerū apocry-
phorū referretur, ut quod Nouae prophetiae nonnūquā meminit, & Mono-
gamiā Montanicā propugnat. Siquidem in notissimo illo Gelasij
Pontificis decreto, cuius initiū Sancta Romana ecclesia, Tertulliani libel-
lis primariā autoritatē adimit pontificia censura. Nō quod uetet illos le-
gi, sed quod nolit illos publice legi in templis, propter nimiam autoris ue-
tustatem, aliter nonnūquā uel loquentis uel quorundā ueterū dogmata
secuti, quae postea testimonijs sacrarū literarū cōuicta sint, & ita damnata.
Nā hoc significat apocryphi uocabulū, occultū uidelicet, quod nō publice
& in tēplis pronūciari debeat, sed priuatim & domi legi possit. Nec mirū
est uetustissimos illos scriptores Papiam, Meltiadem, Irenaeum, & Iusti-
nū apud Græcos, & Tertullianū, Apollinariū, Arnobiū, & Lactantium
apud nos, quaedam fortassis prodidisse quae postea fuerint per autoritatē
synodalem reprobata, cū hoc quod est in artibus & prophanis disciplinis
ut à posterioribus maiores superent cottidie aliquid adhiētibus, & quod
ab illis utcunque inuentū est consumatius reddentibus, etiā in re Theolo-
gica usuuenerit, ut Hieronymi seculo homines multo purius fortasse phi-
losophati sint de diuinis quā aetate Tertulliani. Et qui hodie uiuūt Theo-
logi

nully eorum habuit
reuelaciones

de 2^{is} nuptiis

O gross dinct

Belasij de pectis in
pariete no viij
loquit in Romana
palatide
Censura Arminica

Autoritas synodali
presso nulla

Papias Meliades Irenaeus Iustinus Apollinaris Arnobius Lactantius